

et Alexand. consil. 67. l. vol. et consil. 3. 5. vol. quod an procedat etiam in liberis primi gradus de restituendo gravatis, dicam in l. fin. infra eod.

(4) *Que la non pudiesen vender.* Concordat cum authent. *ut sponsalitia largitas*, §. fin. C. *ad leg. Falcid.* authent. *sed in ea*. Si ergo quis instituat aliquem hæredem in bonis suis, quæ voluit esse bona majoriæ, et prohibuit alienationem, non poterit detrahi per institutum Falcidia, neque Trebellianica, ut hic vides, et notat Bald. in dict. authent. *sed in ea*, et facit ista lex, quod sicut in bonis majoriæ non habet locum alienatio legalis ex Falcidia vel Trebellianica, quod neque habebit locum alienatio per viam præscriptionis, et quod sic præscriptio non habeat locum in bonis majoriæ: in qua quæstione vide, quæ latissimè dixi in l. 10. tit. 25. *Partit.* 4.

Facit etiam, quod bona majoriæ prohibita alienari non publicentur propter delictum possidentis majoriam, de quo est textus notabilis, et ibi Bart. in l. *Imperator*, D. *de fideicom. liber.* circa quam legem vide Alex. cons. 25. vol. 1. in duobus locis. Adde l. *eum qui*, D. *de interd. et releg.* et notata per Cynum in l. 2. C. *de liber. et eorum liber.* et Salic. in l. *si quis Presbyter*, C. *de Episc. et Cleric.* et adde etiam l. *res uxoris*, C. *de donat. inter vir. et uxore.* et vide etiam l. *Status Florus*, §. *Cornelio Felici*, D. *de jure fisci*, l. *Papinianus*, §. *meminisse*, D. *de inoffic. testam.* quod procedit etiam in crimine læsæ majestatis, textus et ibi Ang. in l. *eorum*, D. *ad leg. Jul. majestatis*, ubi est casus, quod ea, quæ non transeunt in extraneum hæredem, non transeunt in fiscum, publicatis bonis propter crimen legis Julæ majestatis: quod etiam tenet Bald. in §. fin. *quæ sit prima causa benefic. amitt.* et in §. *insuper*, *de prohib. feud. alienat. per Frederic.* ubi tenet, quod propter delictum commissum in personam domini, licet perdatur feudum, illa tamen quæ habentur jure genituræ, et debent ad alios jure primogenituræ transire, non perduntur propter delictum commissum contra dominum; quod etiam tenet expressius Bald. in dict. §. fin. et confert ad prædicta quod habetur in Psal. 88. vers. 4. incipit, *Misericordias Domini*, juncto Psal. 151. vers. 1. incipit, *Memento, Domine, David*, nam Deus promiserat regnum perpetuum semini David, et licet Deus propter peccatum solet revocare promissa, tamen, quia istud pactum factum est David, non revocavit, licet aliquid ab eo descendentes Reges commiserunt crimen læsæ majestatis idolatrando, ut traditur per glossam ordinariam, Matthæi cap. 4. et ibi Nicol. de Lyra: et adde quod habetur ad Roman. cap. 3. ibi: *quid enim si quidam illorum non crediderunt, etc.* et ibi Nicol. de Lyra. Poterit ergo ille, ad quem pertinet majoria, impedire fiscum, ne bona majoria incorporaret, l. fin. et ibi Bald. C. *de bon. vacant.* in 11. notabil. lib. 40. l. *si pater*, C. *qui bon. ceder. poss.* bene tamen publicabitur usufructus in vita delinquentis, ut in dict. §. *Cornelio Felici*; quæ omnia procedent, nisi per tenorem investituræ, seu majoriæ provisum esset, quod statim in casu confiscationis bona majoriæ transeant in illam personam, quæ post mortem delinquentis vocatur ad majoriam, vel aliàs in hoc disponatur; nam tunc servabitur dispositio majoriæ, quandò facta fuit facultate regia vel per testamentum; si verò sine facultate regia, tunc recurrendum esset ad notata per Gloss. et Bart. in l. *qui absentis*, D. *de acquirend. possessione*: vide in hoc quæ tradit Alexandr. dict. consil. 25. Et in casu quo extenore majoriæ, locus est confiscationi, an tunc bona erunt apud Regem, ut bona majoriæ vel ut bona libera? Dic, quod ut bona libera, nam variata persona variatur conditio rei, textus cum glossa in l. 4. §. *si is*, D. *de collat. bonor.* Bald. in l. 2. col. 2. C. *de jure fisci*. l. fin. C. *de usur. fisci*. Bart. in l. *fiscus*, la 1. D. *de jur. fisci*. lib. 40. l. *cum in fundo*, §. *quod si acciderit*, D. *de jure dot.* Bald. in l. 2. in princ. D. *solut. matrim.* et ex hoc inferitur, quod si facta confiscatione Rex donet eam filio delinquentis vel proximiori vocato, quod erit apud istum donatarium ut nova majoria, non ut antiqua: posito quod Rex donaverit, ut esset majoria, vel erat ex sui natura, ut Comitatus, vel Ducatus; et pro hoc videtur textus in l. *si libertus meus in servitute*, D. *de bon. libert.* et tenet Bald. in §. *insuper*, *de prohib. feud. alien. per Frederic.* quæst. fin. et vide per Ludovicum de Goza consil. 46. num. 16. et vide quid in hoc dicit Joan. de Plat. per textum ibi in l. 1. in fine, C. *de impon. lucrati. descript.* lib. 10.

Sed quid si pater in constitutione majoriæ apposuit pactum, quod si filius committeret delictum ex quo bona confiscarentur, bona revertentur ad patrem, si tamen Princeps indulgerit filio, quod revertantur ad filium, contigit, quod omnia ita acciderunt, et Prin-

ceps indulgit filio, pater verò vult de novo apponere gravamen, vel conditionem in majoria, an possit? Et videtur, quod non, ex doctrina Bart. in l. *post dotem*, col. 6. ibi: *et ideo dico, quando pater dat dotem primo viro*, D. *de solut. matrim.*

Quid tamen in casu quo non est locus confiscationi majoriæ, si Princeps remittat postea delictum, et restituit delinquentem, fortè jam condemnatum; an recuperabit bona majoriæ, vel adhuc transibunt in sequentem vocatum? Et videtur dicendum, quod si ille delinquens fuit condemnatus, et ita secundum vinculum majoratus bona fecerunt transitum in alium, seu jus majoriæ; tunc restitutio Principis nihil operabitur in præjudicium illius, qui sic erat vocatus propter delictum alterius, ut tradit Bald. in cap. 1. *hic finitur lex, deinde consuet. regn. incip.* col. fin. et quæstione fin. Si verò adhuc non erat condemnatus, bona tamen ipso jure erant confiscata, et cum tunc fecerunt transitum in sic vocatum, et sit indulgentia vel restitutio nihil debet operari. Si verò neque condemnatio fuit sequuta, neque bona ipso jure fuerunt confiscata, et tunc non videtur perdidisse majoratum, et erit proficua indulgentia. Ista distinctio colligitur ex verbis Bald. in dict. cap. 1. §. *insuper*, *de prohib. feud. alienat. per Frederic.* quæst. fin. et vide quæ notat Bald. in cap. unic. *quid jur. si post alienat. vass. feud. recup.* in princip. In casu verò quo per majoriæ instrumentum nihil disponitur, ad quæ ex delicto transeat majoria, publicabitur usufructus, ut dixi; et si Princeps crimen indulgeat et restituat, operabitur restitutio, ut rehabeat suum majoratum ut prius cum fructibus, secundum Baldum in dict. cap. 1. *hic finitur lex*, col. fin. videtur enim restitutio facta, ut sint bona majoriæ, non ut libera, per textum in l. *etiam*, §. *si deportatus*, D. *de bon. libert.* et l. 2. et 3. D. *de sentent. passis.* Quod intellige, si Princeps ante restitutionem non fecerat donationem alteri talis usufructus, nam tunc non recuperaret per restitutionem, secundum Baldum ibidem, pen. col. de quo tamen ultimò vide, quæ latè traduntur et notantur per Alexandrum, et modernos in l. *Gallus*, §. *et quid si tantum*, D. *de liberis, et posthum.* Bart. in l. *quæcumque*, C. *de fide instrum. et jur. hæstæ fiscal.* lib. 40. Cardinal. et Joan. de Imol. in cap. *quia diligentia, de elect.* Felin. in cap. fin. col. 4. *de constitut.* et in cap. *inter quatuor, de majorit. et obedient.* Abb. in cap. 4. *de parochis*, et singulariter per Socinum cons. 266. col. 19. 20. et 21. cum sequentibus. Hodie communiter in facultatibus regaliibus ad majoriam excipiuntur crimina hæresis, et læsæ majestatis, et criminis nefandi, ut in illis perdantur bona majoriæ: quod servandum videtur in his bonis, quæ vincuntur ex vigore facultatis, et aliter non posset vinculari, eorumque alienationes prohiberi; cum enim has vires receperunt ex privilegio Principis, nil mirum, si Princeps tale privilegium in hoc possit modificare et declarare, seu sub certis limitationibus concedere. Si verò conditor majoriæ etiam sine facultate Principis poterat bona sua gravare fideicommissis, et restitutioni subicere, ut quia nullos descendentes vel ascendentes habebat, et liberè poterat bona sua vinculari, vel si habebat, in tertia et quinta poterat liberè disponere juxta leges regni; talia bona non perduntur etiam propter crimen læsæ majestatis, ut dixi; et licet interveniat facultas Principis insimul cum potestate, quæ disponenti competit, de jure communi non perduntur talia bona, in quibus competeat de jure communi etiam citra rescriptum Principis talis facultas: in dubio namque, ex quo condens majoriam non se restringit in sua dispositione ad talem regiam facultatem, visus fuit disponere omni meliori modo, quo dispositio sua conservari posset, Baldus in l. *id quod pauperibus*, col. fin. vers. *ultimo queritur circa hoc*, C. *de Episcop. et Cleric.* et l. *planè*, D. *quod falso tutor. auctor.* et ibi Baldus. Et actus qui potui geri ex duplici potestate, sustentabitur ex ea, qua melius valere potest, ut est casus multum singularis in cap. *nisi essent, de præbend.* et ibi Abb. in 2. notab. et per illum textum eleganter etiam dicit Bald. in §. 4. col. penult. *de lege Corrad.* quod si partes compromiserunt in judicem delegatum, non per hoc videtur renuntiare rescripto, imò ex utraque auctoritate intelligitur iudex procedere, et potest pro parte valere sententia ex una auctoritate, et pro alia parte ex altera, per dict. cap. *nisi essent*, quod dicit non esse alibi. Semper enim actus videtur esse gestus ex ea auctoritate, quæ majus robur et majorem efficaciam dat actui, ut in l. 3. ubi casus notabilis, D. *de testam. milit.* nam valens actum exercere ex duplici potestate, videtur actum exercuisse prætextu majoris potestatis, ut dixit Abb. per textum ibi, et per dictam l. 3. in cap. *quod sicut*. penult. notabili, *de elect.* Dixit etiam Bald. in l.

*humanitatis*, col. 7. C. *de impub. et aliis substit.* quod habens duo arbitria ad aliquem actum, videtur facere ex arbitrio pleniori, et hoc idem voluit Innocentius in cap. *cum ex officii, de præscript.* ubi etiam fortius voluit, quod si quis habens auctoritatem ordinariam, crederet etiam se habere auctoritatem delegatam, quam tamen in veritate non habebat, et protestaretur velle tantum procedere auctoritate delegata, nihilominus processus tenebit auctoritate ordinariæ jurisdictionis, quam tantum habebat; quod est singulare, firmiora namque reputantur illa, quæ aguntur de jure communi, quam illa quæ aguntur de jure speciali, l. *ejus militis*, §. *militia missus*, D. *de testam. milit.* et in authent. *de non alienand.* cap. *quia verò verisimile*, et semper in dubio quis videtur velle facere actum validum jure communi et ordinario, non autem speciali vel extraordinario, l. *quamquam*, C. *de testam. milit.* et l. *in testamento*, la 1. eod. tit. et ideo dicit Freder. de Sen. consil. 125. incipit, *factum tale est, quædam domus*, quod si quis potest procedere; ut ordinarius et ut delegatus, præsumitur in dubio uti potestate ordinaria. Consulo ergo, quod disponentes circa majoriam expriment se meliori potestate, qua possent facere et disponere, ut omnis dubietas tollatur, et quod protestentur velle uti jure communi et facultate, illa via et forma, qua melius eorum dispositio conservari possit: et confert etiam ad prædicta l. *habebat*, D. *de institor.* per quam ibi notat Baldus, quod licet contraham tecum respectu unius mandati, quod te habere credebam, tamen possum agere contra te vigore alterius mandati, quod habes, licet ignorarem tempore contractus, et sic sustinetur contractus, etiam ex alio mandato, de quo non fuit facta mentio, ut etiam plenius concludit Bart. in sua disputatione recipienti, *adunantia generalis*, et Baldi in l. *falsus*, C. *de furt.* et testigit Bart. in l. *ambitiosa*, col. ult. D. *de decret. ab ordin. faciend.*

Sed erit pulchrum dubium, an in casu quo perdat majoria ex crimine læsæ majestatis vel alterius criminis, an tenebitur de evictione, [qui tale crimen commisit, si haberet unde possit solvere? Et videtur, quod sic, ex dicto Baldi in §. *versus*, *quib. mod. feud. amit.* vers. *sed queritur utrum auctor.*

Quod autem dixi, quod neque per crimen læsæ majestatis perdat majoria, imò adhuc veniant in sequentem vocatum; an procedat in filiis delinquentis, qui ad majoriam essent vocati? Vide quæ dicam in l. 2. tit. 2. *Partit.* 7. ubi etiam tractabitur, Deo dante, de filiis ante vel post delictum conceptis, et de intellectu l. *quisquis*, C. *ad leg. Jul. majest.* et l. 6. tit. 27. *Partit.* 2. Et in casu, quo ex tenore investituræ vel aliàs, bona vel usufructus majoriæ confiscarentur, si possessor deservit Regi, si filius ejus vel majoriæ successor servivit, inclinari debet Rex ad bene meritum, ut jubeat ei dari bona, neque tamen debent attendi demerita patris, quam merita filii, l. *non tantum*, §. *si emancipatus*, D. *de bonor. possess. contra tabul.* et facit quod notat Bald. in cap. 1. in princip. col. 5. vers. *quid si sunt duo fratres, quib. modis feud. amit.* ubi dicit, quod si ex duobus fratribus unus dereliquit dominum, alter sua probitate defendit, quod tunc excusatur unus propter alterum, propter conjunctionem personarum et feudi.

Quid autem si villa seu castrum majoriæ confiscarentur ex his quæ habentur in l. 22. tit. 13. *Partit.* 2. ibi: *esso mismo dezimos*, vide dict. l. et quæ ibi dixi. Facit etiam ista lex ad id quod notat Bald. in authent. *præterea*, C. *unde vir, et uxor*, col. 2. vers. *ulterius etiam*. Nota quod prohibitus alienare, non potest per suum contractum vel quasi contractum introducere dispositionem legalem in oppositum, imò tenetur curare, ne id fiat, l. *si ita quis*, §. *ea lege*, in gloss. D. *de verborum obligat.* et adde Bald. in l. 1. C. *de inoffic. dotib.*

Item etiam facit ista lex ad decisionem illius dubitationis, an dispositio authentice *res quæ*, C. *communis de legat.* scilicet, quod bona subjecta restitutioni possunt alienari ex causa dotis, quando liberis legitima portio non sufficeret, procedat etiam stante expressa prohibitione testatoris; quam quæstionem latè tractat Jason. in dict. authent. *res quæ*, col. 7. et 8. ubi asserit communem esse opinionem, quod procedat etiam stante expressa prohibitione, contra Baldum qui voluit contrarium in §. *donare, qualiter olim feud. alien. poss.* et communem opinionem tenet Doctor de Palac. Rubios in repetit. cap. *per vestras, de donation. inter virum et uxorem*, col. 55. et 56. cum sequentibus, in formis minoribus. Certè ista lex Partitatum potest induci pro opinione Baldi, ultra alia quæ pro ea inducit Jason. in dict. authent. *res quæ*, cum vult hæc lex, quod stante ista tali expressa prohibitione, cesset alienatio etiam ex dispositione legali, et sic licet

onus dotandi filias descendat à lege, ut in l. *capite trigesimo qui liberos*, D. *de ritu nuptiar.* l. 8. tit. 11. *Partit.* 4. Licet dici possit, quod ista lex parum faciat, cum ratio ejus sit, quia testator potest prohibere Falcidiam, et prohibendo alienationem, per consequens videtur prohibere diminutionem per viam Falcidiæ; testator tamen non potest prohibere obligationem, qua tenetur pater dotare filiam. Sed adhuc potest responderi, quod per expressam prohibitionem, quod neque ex causa dotis res subjectæ restitutioni alienentur, potest provideri per testatorem, ut tradit Alexandr. consil. 56. *consideratis verbis testamenti*, l. vol. quod etiam est repetitum consil. 25. vol. 2. qui tamen ad hoc nihil allegat: de dicto tamen ejus meminit Ambrosius, prout etiam refert Palac. Rub. ubi suprâ, col. 62. in repetit. l. *filiosfamilias*, §. *Divi*, D. *de legat.* 1. et Jason. in dict. authent. *res quæ*. In confirmationem tamen illius dicti Alexandr. tradidit Palac. Rub. ubi suprâ, quod sicut potest adjici pactum vel conditio, ut res non possit alienari in ecclesiam vel pium locum, ut tradit Bald. in cap. *clerici*, col. 2. *de judic.* et in cap. *quæ in ecclesiarum, de constitut.* col. 5. vers. *sed licet queritur*, Felin. in cap. *quæ in ecclesiarum*, eod. tit. Bald. et alii in l. *ea lege*, C. *de condit. ab. caus.* per Doctor. in l. *si ita quis*, §. *ea lege*, D. *verbor. oblig.* sic etiam valere debet dispositio, ne res alienentur etiam ex causa dotis: per hoc tamen non arbitror recedendum à communi opinione, cum expressior sit prohibitio, quod neque propter dotem alienentur, quam si simpliciter alienatio prohibeatur. Et quod dixi, quod teneat expressa prohibitio ut neque ex causa dotis alienentur, limita et intellige, quando prohibens non tenebatur ad dotem, nam si teneretur, talis prohibitio non obstaret, ut tradit Bart. in l. *filiosfamilias*, §. *Divi*, D. *de legat.* 1. quæst. 2. idem Palacios Rub. ubi suprâ col. 63. textus notabilis in l. *cum fidei*, D. *de fideicommissar. libert.* l. *peto*, §. *prædictum*, D. *de legat.* 2. et crederem hoc procedere, etiamsi mortuo patre nulla promissa dote ab eo vel constituta, filia de restituendo gravata, talem dotem promitteret vel constituerit, quidquid in contrarium voluerit Angel. in authent. *de restitut. et ea quæ parit*, collat. 4. super glossa quæ incipit, *sed nonne*, quia videtur in hoc esse textum in contrarium in l. *mulier*, §. *cum proponeretur*, D. *ad Trebell.* et in specie tenet Jason. in dict. authent. *res quæ*, col. fin. vers. 13. *limita*, et Doctor de Palacios Rub. ubi suprâ, col. 66. Decius consil. 376. *viso casu proposito*. Adverte tamen, quod hodie in regno attentata mente legum regni, videtur dicendum, quod filia, in quam deveniret majoria, in qua essent bona alienari prohibita, etiamsi non exprimeretur, quod neque ex causa dotis alienarentur, sed generaliter esset prohibita alienatio, adhuc non posset ex causa suæ dotis alienare bona majoriæ, juxta dispositionem dicti §. *cum proponeretur*, et dict. authent. *res quæ*, quia in dictis iuribus non erat dicta filia rogata restituere filiis suis, si eos haberet, sed erat rogata restituere, si sine filiis decesserit; node filii erant in conditione, non in dispositione juxta glossam magis communiter approbatam in l. *Lucius*, D. *de hæredib. instit.* unde in casu dicti §. *cum proponeretur*, eo casu quo mulier non dedisset bona fideicommissi in dotem, et contraheret matrimonium, poterat disponere ad libitum de fructibus, tamquam de rebus paraphernalibus, juxta notata in l. penult. D. *ad leg. Falcid.* et in l. *hac lege*, C. *de pact. convent.* in l. *dotis*, D. *de jure dotium*, unde nullus fortè vellet contrahere matrimonium cum ea, et sic non inveniit maritum, et ideo emanavit provissio dicti §. et dictæ authentice. Item si daretur casus, quod in casu illo filia haberet filios, poterat ipsa bona liberè alienare, et sic maritus inveniiret se et illam, si cum ea contraheret sine bonis, ex quibus possent onera matrimonii sustentare: unde consideratur ibi, quod maritus non aliter vellet contrahere, nisi dote data seu promissa, et ideo necessaria fuit illa provissio, ut fideicommissum ex causa dotis minueretur. In regno verò nostro maritus habet administrationem bonorum uxoris etiam non dotatum, et fructus ita sunt sui, sicut essent fructus communes inter virum et uxorem, ex quibuscumque bonis percipiuntur, secundum II. regni, secundum quas etiam neque mulier sine assensu viri potest disponere de rebus suis, etiam paraphernalibus. Item in casu majoriæ filii sunt in dispositione, et ad eam vocati à primo disponente. Præterea de jure regni nihil amplius posset habere maritus, si hæc bona majoriæ sibi darentur in dotem, quam si simpliciter contraheret matrimonium, neque videmus quod mariti curent, quod talia bona sibi assignentur in dotem; tantum procuratur, quod uxor sit dives et habeat bona, et hoc habito non curatur de constitutione dotis; imò libenter volunt recipere bona sine assignatione



dotis, quia minus obligantur, unde videtur, quod cesset dispositio dictarum II. à cessante ratione. Imo per hoc videtur casus in dict. §. *cum proponeretur*, ibi cum dicit nisi de fructibus possit sibi provideri de tote: cum igitur tantum importet ad matrimonium majoria, quæ trahitur sine aliqua assignatione dotis, sicut si assignaretur in dote, cessare debet dicta dispositio, et non poterit in regno talis filia, seu alia femina, in quam veniret majoria, alienare ejus bona etiam propter causam suæ dotis: et bene etiam ad prædicta confert, quod habetur in cap. *nuper*, de *donatione inter vir. et uxorem*.

Quando verò non tractaretur de dote filiae, in quam venit majoria, sed de dotandis aliis liberis descendentes à primo disponente, est dubium, an si tales liberi nati sunt jam ipso disponente mortuo, possint dotari de bonis majoriae; in quo videtur velle Paul. de Castr. quòd sic, in dict. §. *cum proponeretur*, in princip. cum tradit quid fuerit illius §. dispositioni additum per dispositionem authenticam, *res quæ*; et dicit, quòd primo additur, quia in dicto §. tantum habetur de filia instituta, et de restituendo gravata; in dicta verò authentica idem deciditur in nepote ex filio, vel in pronepote ex nepote, et sic de cæteris descendentes, ut ibi colligitur in verbo *liberis*, quod comprehendit omnes descendentes, nam onus dotandi omnium personarum prædictarum pertinet ad testatorem, si viveret, ut in l. *dotem*, D. de *collat. bonor.* l. 8. tit. 11. *Partit.* 4. unde secundum eum censentur voluisse, quod faceret illud quod testator esset facturus, argumento l. *cum servus*, ante fin. D. de *condit. et demons.* ibi: *nam quod ipse vivus*. Scilicet in nepote ex filia, vel pronepote ex nepote, quia onus dotandi illas non pertinet ad primum disponentem, sed ad parentes illorum, per ea, quæ notat Glos. in l. *à filia*, D. ad *Trebell.* vult ergo Paul. de Cast. quòd de mente primi disponentis sit, licet jam sit mortuus, quòd in omnibus descendentes ejus per filium vel nepotem possit fieri alienatio ex causa dotis, juxta dispositionem dictæ authenticæ *res quæ*: de quo ego multum dubito, si potius inclinarem in contrarium, et primo excludo casum indubitabilem, ubi conditor majoriæ etiam ex causa dotis prohiberet alienationem, nam tunc dispositio ejus servanda est (ut dixi) et etiam in isto casu est de mente Paul. de Cast. cum fundamentum ejus sit, quòd si viveret, ipse fecisset, et sic quod censetur voluisse, quòd fiat post ejus mortem. Quod fundamentum cessat stante voluntate expressa in contrarium; quando verò non fuit hoc expressum, sed simpliciter prohibuit alienationem, tunc videtur, quòd in liberis natis eo mortuo, in quos nulla fuit orta obligatio dotandi, non censeatur idem voluisse quod fieret, ac si ipse viveret, neque præsumitur voluisse contra suam prohibitionem bona distrahi in eo, in quo ipse nullo modo erat obligatus, argumento l. *cum de indebitis*, D. de *probationib.* et ubi potest sumi alia conjectura, non præsumitur donatio, ut tradit Bald. in l. 1. C. ad *Trebell.* et constat hic voluisse bona integra velle manere in majoria, et si talis conjectura donandi daretur, esse destruere omnes majorias vel penè omnes, si tale quid permitteretur in descendentes in infinitum, et l. *cum servus*, allegata per Paulum nihil in loco probat. Imò ubi illa presumpcio tendebat ad conservationem majorem honorum ex redditione rationum, quam in eorum diminutionem, et procedet hoc magis indubiè de jure regni, ex quo per contractum matrimonii filius liberatur à patria potestate, juxta l. *Tauri*, et sic nulla obligatio dotandi esset in avo paterno nepotem ex filio: et facit ad prædicta l. 1. §. *si quis proximior*, D. und. *cogn.* ibi: «nam si post mortem neque obstat alii, neque ipse admittitur, quia non fuit proximior cognatus ei, quo vivo nondum animal fuerit,» et l. 1. §. *sciendum, cum similib.* D. de *suis et legit. hæred.* Præterea ratio fundamentalis dictæ authenticæ *res quæ*, ut tradit Paul. de Castr. consil. 80. l. vol. *quia per supra scriptum eximium consultorem, etc.* est, quia pater tenetur filiam dotare; unde sicut non posset huic obligationi derogare subjiciendo res suas restitutioni, quominus obligatio causam fieret diminutio, ita neque prohibendo illarum alienationem, cum non debeat esse in potestate debitoris ab obligatione se eximere, l. *sicut*, C. de *action. et oblig.* Si igitur ista ratio, et talis obligatio cesset, prout cessat in primo disponente, qui nunquam fuit obligatus ad dotandum nepotes vel proneptes, quæ non erant, nec fuerunt in rerum natura eo vivo, patet, quòd potuit bona sua subjicere restitutioni, et prohibere alienationem; neque talis descendens habet de quo conqueratur, cum nunquam habuit talem ascendentem obligatum. Præterea etiam Paul. in dict. consil. videtur declarare se circa id quod dixerat in dict. §. *cum proponeretur*, et in dict. authent. *res quæ*, penult. col. scilicet ut quod dixit, procedat quando tantum

erat prohibitio tacita legalis de non alienando, eo quòd bona erant subjecta fideicommissio; quando vero esset expressa prohibitio, et defectus non esset in potestate disponentis et prohibentis, tunc non procedat dispositio dictæ authenticæ *res quæ*. Sed adhuc instabit quis, quia secundum hoc nihil specialitatis vel prærogativæ inductum fuerit per dict. authenticæ *res quæ*, ex quo dicitur, quòd tantum procedat in obligato ad dotandum, seu quando in persona primi disponentis nata fuit obligatio dotandi: ad quod respondeo, quòd adhuc est multum favoris et prærogativæ, quia ipso mortuo tantum poterat agere filia pro sua legitima, vel neptis, quæ forte non sufficeret ad constituendam dotem secundum qualitatem filiae vel neptis, et alia de quibus in l. *filia*, D. de *legat.* 3. et tetigi in l. 8. tit. 4. *Part.* 5. in gloss. super parte *tambien*: et istud introductum fuit per dictam authenticam, ut legitima non sufficienti mitti possit manus ad bona prohibita alienari. Vel potest dici, quòd multum inducta de novo illa authentica, ut stante tantum tacita prohibitione legali, ex præsumpta voluntate defuncti disponentis bona subjecta fideicommissio possint alienari pro dote, etiam per liberos, qui non erant in rerum natura vivo primo disponente; quod non est stante expressa prohibitione, ut dixi velle Paulum de Castr. in dict. consil. Sed primum mihi plus placet, et quòd in hoc nulla sit differentia inter expressam et tacitam prohibitionem: et confert ad prædicta, quia majoriatus in multis participat de natura feudi, et arguitur de uno ad aliud, ut tradit Bald. in l. *cum antiquioribus*, C. de *jur. deliber.* Socin. consil. 47. vol. 3. et videmus, quòd feudum non potest dari in dote, ut in §. *donare, qualiter olim feud. alien. poss.* et per illum textum dicit ibi Bald. quòd authentica *res quæ*, non habet locum in re feudali; et in casu in quo permittitur aliquando feudum dari in dote, procedit pro vita vassalli dantis in feudum tantum; et non perpetuo, secundum Innoc. et Doctores in dict. cap. *nuper*; et postea revertitur feudum mortuo vassallo ad eum, ad quem ex forma investituræ reverti debet, secundum prædictos Doct. et tradit Felinus in cap. *quæ in ecclesiarum, de constitut.* col. 29. hinc etiam videmus quotidie à Rege impetrare licentias et facultates, ut de bonis majoriæ possint filiae dotari, vel bona majoriæ obligari pro restitutione dotis, et impetrantur quotidie à descendentes primi disponentis, quasi sit pro certo habitum, aliter non posse de jure fieri, quia frustra precibus impetratur, quòd à jure communi conceditur, l. 1. *cum similib.* C. de *thesaur.* lib. 10. l. *cum per absentiam*, C. quib. *non obijctur long. tempor. præscript.*

Et licet non sit disputandum de hoc de potestate Principis auferentis per tales licentias jus futuri fideicommissi, juxta ea quæ plenè tradit Alexand. consil. 2. *visis codicillis, legitimatione et aliis*, l. volum. et consil. 94. ubi ad finem dicit, quòd secundum illud consilium fuit judicatum; consulo tamen dominis de consilio Regis ad hoc deputatis, ut raro et cum magna causa istæ et similis facultates in evenitionem honorum majoriæ ut fideicommissi dentur; si enim darentur sine causa justa, fortè tenerentur ad interesse parti læsæ, ex eo quòd notat Baldus post Glossam ibi in §. fin. col. 5. vers. *item nota ex ista glossa, de pace jurament. firmand.* et quæ habentur in l. 31. tit. 18. *Part.* 5. et vide Petrum de Anchâr. in *regu. possessor.* column. 47. vers. 5. *quæro, de regulis juris*, lib. 6. et ipse Princeps concedens tales licentias sine causa, non justè faceret, neque videtur posse per prædicta, vel saltem tenebitur gravato providere de bono cambio, ut notanter voluit Innoc. in cap. *nisi cum pridem, de renuntiat.* col. 2. vers. *nos credimus*, et neque alienans, neque recipiens erunt tuti in conscientia, juxta Gloss. in cap. *non est, de voto.* Item et sæpè patres in præjudicium filiorum vel filiarum, quibus defertur majoria, impetrant facultates regias, cum filii sint sub eorum potestate et protectione, videntur delinquere, argumento l. *deferre*, §. *item eos*, D. de *jure fisci*, unde non debet eis favere. Tales licentiæ tendunt contra publicam utilitatem, quæ consistit in conservandis bonis in familia nobilium, l. §. *sed et servus*, vers. *publicè enim interest*, D. de *ventre inspici.* et quòd tradit Joannes Andr. in *addition. ad Specul.* tit. de *succession. ab intestat.* ubi referens disputationem Jacobi de Aren. dicit pertinere ad publicam utilitatem, quòd agnatis et familiæ divitiæ conserventur: constat enim, quòd per divitias familiarum conservatur honestas, quæ perit per inopiam, ut in authent. de *testibus*, cap. *sancimus*, collat. 7. et sicut principatus divisione destruantur, ut in §. *præterea ducatus de prohib. feud. alien. per Frederic.* ita etiam patrimonialia, ut experientia docet, ut tradit Socin. consil. 47. vol. 1. col. 2. et inter nobiles melior est quandoque aliorum filiorum dispersio, quam

hæreditatis divisio, ut tradit Abbas referens dictum Beati Bernardi in cap. *licet, de voto.* Rescripta contra publicam utilitatem et in damnum aliorum vocatorum ad majoriam, non sunt concedenda, l. *rescripta*, C. de *precib. Imperat. offerend.* l. fin. C. *si contra jus vel utilitatem publicam*, cap. *rescripta*, et sub. cap. *dicenti*, §. *omnes*, 25. quæst. 2.

Quid autem si Rex dedit licentiam extrahendi unam rem vel prædium à majoria pro dote filiae, eo quia pater non habebat alium de unde dotaret; an si pater postea perveniat ad pinguorem fortunam, teneatur ipse dotare, et res ita alienata reverti debet ad majoriam? Videtur decendum, quòd non, per ea quæ notat Gloss. in dict. authent. *res quæ*, et in corpore unde sumitur, et probatur in dict. l. *mulier*, §. *cum proponeretur*, et faciunt, quæ notat Gloss. in l. *ubi adhuc*, C. de *jure dotium*, et Bart. in l. *si constante*, in princ. D. *solutio matrimon.* in quæstione illa, si vir incipiat esse dives post dotem datam uxori propter ejus paupertatem. In contrarium facit quòd notat Innoc. in cap. *quia plerique, de immunit. eccles.* tradit Socin. consil. 164. vol. 2. ubi dicit, quòd si Princeps subsistente aliqua causa abstrahit rem uni, si postea cessat causa, cessat dispositio, et res ablata debet restitui; et quia auctis facultatibus tollitur privilegium paupertatis, l. *non tantum*, §. *eos*, D. de *excusat. tutor.* l. *cura*, §. 1. D. de *munerib. et honor.* l. *ab his oneribus*, §. *auctis*, D. de *vacat. muner.* l. *Titia*, §. *usuras*, D. de *legat.* 2. Præterea hoc videtur de mente Bart. in dict. l. *si constante*, in princ. col. fin. quem pro prima parte jam citavi, cum distinguit in quæstione illa; quòd si actus superveniens qui ab initio impediret actum geri, tendit ad eundem effectum cum actu gesto, et tunc ex supervenienti casu non tollitur id quòd est gestum, l. *verbis*, D. ad *leg. Falcid.* si vero tendit ad contrarium effectum cum casu celebrato, et tunc vult quòd retractetur actus ex supervenienti casu, et ita respondet ad dictam l. *cura*, §. *deficientium* D. de *muner. et honor.* cum similib. Unde in casu quæstionis propositæ divitiæ supervenientes tendunt ad contrarium effectum actus celebrati, scilicet permissionis ob inopiam extrahendi pro dote rem majoriæ: et videtur dicendum, quòd res redire debeat ad majoriam, et pater dotet ex supervenientibus divitiis. Sed dicendum videtur, quòd extractio talis rei, et constitutio dotis ex ea facta non retractetur, licet superveniant divitiæ, ut in regul. *factum legitime, de regul. jur.* lib. 6. et quia cum actus est jam confirmatus, tunc per cessationem causæ non debet ejus effectus retractari, l. *qui res*, §. *aream*, D. de *voluntatib.* l. *sancimus*, 1. C. de *administrat. tutor.* Alexand. in dict. l. *si constante*, in princ. col. fin. Fortè tamen compellendus esset extrahens vigore talis facultatis de talibus divitiis supervenientibus subrogare aliam rem in majoria valoris rei, quæ extracta fuit, et optima cautela erit, quòd in talibus licentiis ita specificetur: et illud ad quòd allegavi Innocent. in dict. cap. *quia plerique*, non videtur ita indistinctè verum, neque Innocentius hoc dicit, ita ut Socinus in dict. consil. eum retulit, ut per te poteris videre. Erit ergo optimum, ut cum tales licentiæ conceduntur, quòd dixi exprimat, et ita licentia limitetur vel exprimat, quòd tali casu res sic extracta reincidat in majoriam, et per extrahens pro dote filiae dotem solvat de supervenientibus divitiis.

Et si de consensu alienantis ex facultate regia, et emptoris dissolvitur alienatio, videtur quòd res redeat in majoriam, ut in l. *voluntate*, D. quib. *mod. pign. vel hypot. solv.* et vide quòd habetur in l. *sicut*, §. *si voluntate*, eod. tit. et cap. fin. 33. quæst. 2. et Gloss. in *nuptiarum*, in parte *uxores*, 27. quæst. 1.

Ex quibus decides, quòd si res sit extracta à majoria ex facultate regia, et de ea sit factus alius majoratus; an si res redeat ad priorem dominum, possunt iterum ex ea condere majoriam? In qua quæstione videtur dicendum, quòd res sic rehabitata non reincidat in majoriam, ut probatur in l. *si ita legatum*, §. *si domus*, D. de *legat.* 1. et probatur etiam in dict. §. *si voluntate*: unde ad faciendum de ea novam majoriam in præjudicium filiorum opus erit nova facultate: et adde quæ dixi supra parum post principium hujus glossæ.

Adverte etiam, quòd qui ludit rem majoriæ, perinde est ac si rem alienasset, unde incidet in poenam alienantis, glossa notabilis in l. 3. §. *miles*, D. de *re milit.*

Et quid si luderet super re majoriæ in tanta quantitate, quòd non esset spes litionis? Vide l. *qui habebat*, D. de *legat.* 3. et Bald. in §. *aut si libellario, quib. mod. feud. amit.* Item adverte, quòd si quis habuit à Principe licentiam vendendi rem majoratus, et morte præventus non fecit, non poterit successor ejus in majoriam vendere ex

tali facultate, ut tradit notanter Bald. in §. *Marchio*, column. 1. vers. *pone concessum est privilegium, de his qui feudum dare poss.* Item et adverte, quòd si ille, qui habuit licentiam vendendi rem aliquam majoriæ, emat talem rem per interpositam personam, ut fortè alteri filio relinquat, quòd non obstante tali licentia et tali alienatione, vocatus ad majoriam poterit talem rem petere, argumento l. *si is qui bonis*, D. de *acquir. hæred.* adde Bald. in l. *ordo*, col. 2. vers. *quæro, data est potestas*, C. de *execut. rei judic.*

An autem pretium, quòd habetur ex re quæ permittitur vendi ex majoratu, sit majoriæ, ut convertatur in emptionem alicujus rei immobilis, etsi in facultate ad vendendum hoc non exprimat? Videtur, quòd sic, ex his quæ notat Bald. in cap. 1. de *feud. non habente prop. naturam feudi*, vers. *quæro nunquid pretium*, ex quo in casu isto pretium habetur ex causa lucrativa.

Sed quid si possessor majoriæ juravit, quòd non alienabit res majoriæ, qui tamen postea impetravit licentiam à Rege, quòd posset alienare, tacens de juramento præstito; an poterit tunc alienare? Videbatur, quòd sic, ex dicto Bald. in dict. cap. 1. in princ. col. 4. de *his qui feud. dare possunt*, vers. *et circa hoc quæro, si prælatus juravit*, referens Joan. And. in cap. *ut super, de reb. eccles. non alienand.* dicentem, quòd si prælatus juravit non alienare sine licentia Papæ, quòd si impetret à Papa tacito juramento, quòd potest alienare, neque fit transgressio juramenti. Videtur tamen in hoc dicendum, quòd si istud juramentum præstat futuris successoribus, vel ad eorum favorem, et conservationem rerum majoriæ, quòd tunc non valebit alienatio, etiamsi impetret licentiam tacito juramento; quòd est de mente Joan. And. in dict. cap. *ut super*, dum dicit, quòd si jurasset non alienare sine licentia Metropolitanæ, quòd tunc si impetraret à Papa talem licentiam tacito juramento, non teneret licentia neque posset fieri alienatio.

Adverte etiam, quòd vigore talis facultatis regie non debent vendi, neque pro dote obligari res pretiosiores, seu res magnæ majoriæ, si de villoribus potest satisfieri, quia versari debet in hoc arbitrium boni viri, l. *magis puto*, §. *non passim*, D. de *reb. eorum*, et ibi Baldus notabiliter: Bart. in l. *alio*, D. de *alim. et cibor. legat.*

Et si data fuit licentia regia ad obligandum res majoriæ pro dote, videtur et dari, ut possint vendi, l. *si pupillorum*, §. 1. et ibi Bald. D. de *rebus eorum*. Si tamen licentiam daretur ad vendendum, non possent ejus virtute res majoriæ obligari, ut in dict. l. *si pupillorum*, §. *si Prætor*, quia à forma decreti non est recedendum; adde l. fin. C. de *præd. curial.* lib. 10. et Gloss. in l. *non debet*, D. de *regul. juris*.

Sed pone, quòd data fuit licentia alternativè ad vendendum, vel ad obligandum res majoriæ pro aliqua necessitate, potest enim sic alternativè dari, ut in dict. §. *si Prætor*; an tunc si eligat obligare, possit postea vendere? Et videtur, quòd non, per textum in l. *cujus*, D. de *curator. furios.* quòd fortè procederet, si per viam obligationis satis esset necessitati consultum, non aliàs.

Quid autem si possessor majoriæ legavit aliquam rem majoriæ, et postea impetravit facultatem regiam ad extrahendum talem rem à majoria; an reconvalet legatum? Vide l. *servum filii*, in princ. D. de *leg.* 1. et ibi Bart. et Paul.

Quid autem si ille, qui vult impugnare alienationem rei majoriæ cum facultate Regis factam, sit clericus? Videtur, quòd si tempore facultatis jam erat clericus, quòd possit; quia si Principis de eo disposuit, non possit contravenire, non potuit ex defectu potestatis: si verò tantum generaliter providit, quòd nullus contraveniat, ista verba generalia non referuntur ad impossibilia disponenti, et ad ea ad quæ sua jurisdictione se non extendit, vide Bald. in l. fin. §. *in computatione*, in fin. C. de *jure deliber.* et Bart. in l. *si quis sub conditione*, D. de *conditionib. institut.*

Sed pone, quòd Rex dedit licentiam alienandi aliquam rem majoriæ, an ille ad quem pertinet post mortem alienantis, poterit impedire traditionem possessionis offerendo pretium rei ad sublevandam necessitatem pro qua venditur? Videtur dicendum, quòd sic, et facit bene quòd notat Bald. in §. *deniq.* vers. *item nota, quæ fuit prima causa benefic. amit.* ubi et tractat de successore, qualiter impediatur alienationem. Imo et videtur, quòd necdum proximus in gradu hoc posset, verum etiam quilibet alius de familia vocatorum, facit l. *qui Romæ*, §. *coheredes*, D. de *verbor. obligat.* et textus singularis in ratione sui in l. *virilis*, D. de *legat. præstat.* §. *si adierit*, et facit optimè l. *peto*, §. *fratre*, D. de *legat.* 2. Item et videtur, quòd tali casu locus